



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Svmmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum**

Tertiæ Partis Volumen Secundum

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romæ, 1619**

Vtrum sacramentum sit in genere signi? 1

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38725**

## ARTIC. PRIMVS.

*Vtrum Sacramentum sit in genere signi?*

326

4. di. 1. q.

1. ar. 1. q.

1. q. ar.

3. ad 1. et

ar. 4. q. 1.

ad 1.



Primum sic proceditur. Videtur, quod sacramentum non sit in genere signi. Videtur enim sacramentum dici a sacramento, sicut medicamentum a medicando. Sed hoc magis videtur pertinere ad rationem causæ, quam ad rationem signi. Ergo sacramentum magis est in genere causæ, quam in genere signi.

¶ 2. Præterea, Sacramentum videtur aliquid occultum significare: secundum illud Tob. 12. Sacramentum abscondere bonum est. Et Ephes. 3. Quæ sit dispensatio Sacramenti absconditi a sæculis in Deo. Sed illud quod est absconditum, videtur esse contra rationem signi. Nam signum est quod præter speciem quam ingerit sensibus, facit aliquid aliud in cognitionem venire: ut patet per August. \* in 2. de Doctr. Christ. Ergo videtur, quod sacramentum non sit in genere signi.

† Alis.

per.

c. 1. cir. a

prin. to. 3

c. Paruu-

li qui si-

ne atate

¶ 3. Præterea, Iuramentum quandoque sacramentum nominatur: dicitur enim in 1. de Cr. 22. q. 5. Paruuli qui sine ætate rationali sunt, non cogantur iurare & qui semel periuratus fuerit, nec testis sit post hoc, nec ad sacramentum (id est, iuramentum) accedat. Sed iuramentum non pertinet ad rationem signi. Ergo videtur, quod sacramentum non sit in genere signi.

c. 15. non

procut a

p. in. to. 5

SED contra est, quod Aug. \* dicit in 10. de ciu. Dei, Sacrificium visibile, inuisibilis sacrificij sacramentum, id est sacrum signum est.

RESPONDEO dicendum, quod omnia quæ habent ordinem ad vnum aliquid (licet diuersimode) ab illo denominari possunt: sicut a sanitate, quæ est in animali, denominatur sanum, non solum animal, quod est sanitatis subiectum, sed dicitur, medicina sana, in quantum est sanitatis effectiua; dicta verò, in quan-

tiam

tum est conseruatiua eiusdem; & vrina, in quatum est significatiua ipsius. Sic igitur sacramentum potest ali quid dici, vel quia in se habet aliquam sanctitatē oc cultam (& secundum hoc, sacramentū idem est quod sacrum secretum), vel quia habet aliquem ordinem ad hanc sanctitatem, vel causā, vel signi, vel secun dum quamcumque aliam habitudinem. Specialiter au tem nunc loquimur de sacramentis, secundum quod important habitudinem signi: & secundum hoc sa cramentum ponitur in genere signi.

Ad primum ergo dicendum, quod quia medici na se habet vt causa effectiua sanitatis, inde est quod omnia denominata à medicina, dicuntur per ordinē ad vnum primum agens: & propter hoc medicamen tum importat causalitatem quamdam. Sed sanctitas, à qua denominatur sacramentum, non significatur per modum causæ efficientis, sed magis per modum causæ formalis, vel finalis: & ideò non oportet, quod sacramentum semper importet causalitatem.

Ad secundum dicendum, quod ratio illa procedit, secundum quod Sacramentum idem est quod sacrum secretum. Dicitur autem non solum Dei secretum, sed etiam Regis, esse sacrum & sacramentum: quia se cundum antiquos sancta, vel sacrosancta dicebantur, quæcumque violari non licebat: sicut etiam muri ciuitatis, & personæ in dignitatibus constitutæ. Et ideò illa secreta siue diuina, siue humana, quæ non li cet violari, quibuslibet publicando, dicuntur sacra, vel sacramenta.

Ad tertium dicendum, quod etiā iuramentū habet quamdam habitudinem ad res sacras: in quantum sci licet est quædam contestatio facta per aliquid sacrū. Et secundum hoc dicitur iuramentum esse sacramē tum, non eadem ratione, qua nunc loquimur de sa cramentis: non tamen æquiuocè sumptō nomine Sa cramenti, sed analogicè, scilicet secundum diuersam habitudinem ad aliquid vnum, quod est res sacra.